

pupillo emere sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem, dicimus usucapionem sequi, ut hic plus sit re, quam in existimatione. Quod si scias, pupillum esse, putes tamen, pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu; quia juris error null. prodest.» Simile exemplum est etiam. si quis a praelato Ecclesiae, vel monasterii quid emit non servata praescripta solemnitate juris, arg. c. 1, et c. *Tua nuper*. 8, de *His, quae fiunt a praelatis*.

6. *Solvuntur objectiones.* — Objicitur primo contra regulam, c. *Apostolicae*. 9, de *Donatione*. valet praescriptio rei per episcopum monasterio, magno cum Ecclesiae damno, consequenter contra juris prohibitionem donata; ibi: «Potest legitime revocari, nisi praescriptione, vel alia exceptione legitima, actio hujusmodi excludatur.» Resp. cum Glossa communiter recepta, ibi fuisse ignorantiam facti, et non juris. Facti enim quaestio erat, utrum per allegatam ibidem donationem quinquagesimae, vel centesimae partis de censibus Ecclesiae eadem graviter laedatur; atque ideo monasterium id, quod recepit, praescribere potuit; cum habuerit titulum et bonam fidem, ac de reliquo facti ignorantia excuset, cit. reg. 13, de *Reg. jur.* in 6, et praescriptionem non impediatur arg. cit. l. *Pro emptore*.

7. *Bona fides praesumitur, nisi abesse probetur, ubi allegatur ignorantia facti, non vero juris.* — Objicitur secundo. Bona fides semper adesse praesumitur, nisi abesse probetur, arg. l. *Dolum*. 6. c. de *Dolo*. et l. 2. c. de *Prascript. long. temp.* cum concord. Resp. eum Dyno, id verum esse, ubi allegatur ignorantia facti; quia tunc juris praesumptio allegationi non resistit: secus est, quando allegatur ignorantia juris; tunc enim non bona, sed mala fides praesumitur, quia praesumptio juris allegationi resistit cit. l. 2, ff. *Pro emptore*. et c. *Ignorantia*. 3, de *Reg. jur.* in 6, censeturque mala fides satis probata, si patet, vel probatur delictum, quod emendo contra prohibitionem committitur.

8. *Fallit regula in iisdem casibus, in quibus fallit regula 13.* — Queritur II. An? et quas fallentias habeat regula 82? Resp. eam fallere in iisdem, in quibus quoad secundam partem fallere diximus regulam 13. «Ignorantiam facti, non juris excusat.» videlicet. *Primo* in minoribus; *secundo* in militibus; *tertio* in omnino rudibus, non habentibus, quos consulant; *quarto* juxta aliquos etiam

in foeminis; et quinto universaliter, quando non sunt clara, sed ambigua, obscura, et controversa; quia in his recensitis non tantum facti, sed etiam juris ignorantia excusat, consequenter a praesumptione juris de mala fide eximit; vide dicta ad reg. 13, a n. 20, ac etiam reliqua ad eandem regulam adducta, quia praesentem magis elucidant.

REGULA LXXXIII.

BONA FIDES NON PATITUR, UT SEMEL EXACTUM ITERUM EXIGATUR.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumpta est haec regula ex l. *Bona fides*. 57. ff. de *Reg. jur.* ibi: «Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur.»

2. *Quomodo intelligenda.* — Queritur I. Quomodo haec regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. eam esse intelligendam juxta sequentem proprium illius sensum: «Creditor, qui solutionem debiti jam semel petiit et justam obtinuit, eam ulterius petere, seu exigere bona fide, seu bona conscientia non potest.» Ratio perspicua est, quia vera solutione debiti tollitur omnis obligatio ejusdem. Nec refert, utrum debitor per se, vel per alium, aut id, quod debet, in natura, aut, consentiente creditore, in aestimatione, vel per aliud solvat. pr. Instit. *Quibus modis tollatur obligatio*, ibi: «Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur, vel si quis consentiente creditore aliud pro alio solverit. Nec interest, quis solvat, utrum ipse, qui debet, an alius pro eo, liberatur enim et alio solvente, sive sciente, sive ignorante debitore, vel invito eo solutio fiat.» Hinc etiam est, quod, si ab uno ex duobus correis, seu condebitoribus, vel a fidejussore totum debitum solutum est, ab altero, vel principali debitore exigere bona fide et conscientia, sine dolo et malitia nihil amplius valeat nec ab altero correo, nec a fidejussore cit. pr. Instit. *Quibus modis toll. oblig.* ibi: «Idem contingit, si fidejussor solverit, non ipse solus liberatur, sed etiam reus.» et l. *In duobus*. 3, § 1, ff. de *Duobus reis*. ibi: «Utique enim, cum una sit obligatio, una et summa est: ut, sive unus solvat, omnes liberentur, sive solvatur ab altero liberatio contingat.»

3. *Procedit regula etiam in penis.* — Procedit regula etiam in penis, ita, ut, si poena a reo pro aliquo delicto semel exacta fuit,

alia ab illo propter idem exigere non amplius valeat: nisi diversae poenae copulative pro delicto essent impositae. Glossa et Strein. *hic* arg. c. *At si clerici*. 4. § fin. de *Judiciis*. ibi: «Cum functus sit suo officio, nec duplici contritione debeat ipso conterere,» quia nec Deus bis punit in idipsum.

4. *Legatum, pro certa die factum, singulis annis eo die peti potest.* — Objicit l. *Annua*. 20, § 1, ff. de *Annua legatis*. expresse sanctum habetur, quod legatum pro certa die, v. g. calendis maii, sacerdotibus solvendum, singulis annis pro illa die peti possit. Resp. id merito statutum fuisse ex benigna interpretatione in favorem causae pie, cum enim dubium, et obscurum esset, utrum legatum in citata lege expressum uno duntaxat, vel singulis annis solvendum esset, in favorem pie causae legislator illud singulis annis in perpetuum esse solvendum, interpretatus est; praesertim quia certo determinato die solvendum imponitur. Hinc bene infert Strein. quod si alumnis sancti Francisci legaretur, ut in die sancti Patris eis praebetur pitantia, eam singulis annis in praefato festo praestare deberent haeredes, arg. cit. l. *Annua*. Neque propterea idem bis exigetur, sed pro quolibet anno semel, cui alia, atque alia obligatio dandi correspondet.

5. *Fallit regula, quando una exactione, et solutione debiti, obligatio illius non extinguitur.* *Episcopus bis, vel saepius in anno visitans, semper exigere potest procurationem.* — Queritur I. An, et quas fallentias patiatur regula 83? Resp. eam fallere, et quidem universaliter primo quando una exactione et praestatione debiti non extinguitur ulterior obligatio ejusdem. Glossa *hic*, uti patet in exactione debiti conjugalium, in exactione tributorum, vectigalium certis temporibus, vel toties, quoties curus onerati transeunt, persolvendorum. Idem est in visitatione ecclesiarum, vel monasteriorum, si eam bis, vel saepius in anno facit episcopus, prout potest can. *Non semet*. 29, cau. 18, q. 2, ibi: «Non semel, sed saepius in anno episcopi visitant monasteria monachorum, et, si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur,» juncto c. *Mandamus*, 6, de *Offic. archidiacon.* ibi: «Mandamus, quatenus prohibeatis Castrens. archidiacono, ne ad Ecclesias sui archidiaconatus visitandas nisi semel in anno accedat, nisi forsitan talis causa emergerit, propter quam ipsum oporteat praefatas Ecclesias saepius visitare.» Visitans itaque episcopus ex justa

causa bis, vel saepius in anno Ecclesias, aut monasteria sibi subjecta, non tantum semel, sed etiam saepius, toties nempe, quoties visitat, exigere potest procurationem moderatam c. *Cum venerabilis*. 21, de *Censib. et exact.* ubi etiam ratio additur illis verbis: «Quia ergo visitationi annexa est procuratio, et episcopus ratione episcopalis jurisdictionis, quam habet in ea, teneatur causa correctionis Ecclesiam visitare.»

6. *Fallit insuper in causa dotis: et quando?* — Fallit secundo in causa dotis; hanc enim semel exactam, et jam acceptam, secundo nubens filia denuo exigere potest, si prima vice vi pacti ad patrem rediit. Authen. *Sed quamvis*. C. de *Rei uxor.* act. ibi: «Sed quamvis dos potestatis, sive pactionis jure ad patrem redeat, non tamen licet ei, filia denuo nubente, diminuere priorem dotis mensuram, nisi forte substantia sua decrescat aliqua fortuita clade: tunc enim amplius secundo marito in dotem praestare non cogitur, nisi quantum facultates ejus patiuntur.»

REGULA LXXXIV.

CUM QUID UNA VIA PROHIBETUR ALICUI, AD ID ALIA NON DEBET ADMITTI.

1. *Regula unde?* — Desumpta dicitur haec regula ex l. fin. C. *Si mancipium ita venierit*, ubi etiam ratio additur his verbis: «ne frans legi fiat,» et ex c. un. de *Cleric. conjug.* in 6; ibi: «ne per unam viam concedatur, quod per aliam denegatur.»

2. *Potest aliquid prohiberi vel absolute, simpliciter et principaliter ratione sui: vel ad viam, et modum duntaxat.* — Queritur I. Quomodo haec regula intelligenda, et quis verus sensus ejusdem sit? Ante responsum notandum cum Glossa, et Viviano *hic*, aliquid dupliciter prohiberi posse: uno modo absolute, simpliciter, et principaliter ratione sui, ita, ut prohibitio non viam aut modum aliquid obtinendi vel agendi, sed rem, sive actum ipsum respiciat, causa prohibitionis semper durante: cujusmodi prohibita ratione sui sunt adulteria, furta, perjuria, etc. Vel alio modo prohiberi possunt non simpliciter et ratione sui, sed quoad certam viam duntaxat, vel modum acquirendi prohibitum. Sic episcopus, alligatus jam alicui Ecclesiae, prohibetur aliam Ecclesiam assumere, non absolute et simpliciter, sed duntaxat quoda

viam, electionis nempe, non vero quoad viam postulationis, c. fin. *de Postulat. prælat.* Hoc notato. Resp. I. regulam loqui, et intelligendam esse de prohibitis in primo sensu, uti statim patebit. Nam.

3. Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: « Quando aliquid simpliciter, ac principaliter ratione sui, suæve naturæ prohibitum alicui habetur una via, vel modo, ad id alia via, vel modo de jure admittendus non est. » Ratio regulæ jam allegata est n. 1, « ne videlicet fraus legi fiat, » cit. l. fin. C. *Si mancipium*. Hoc ipso enim, quod legislator aliquid absolute et simpliciter, ac principaliter ratione sui, suæve naturæ prohibeat, vult, et intendit, ut nulla via vel modo fiat, aut ad eam perveniatur, etiamsi in prohibitione una tantum via, vel modus exprimitur: consequenter si quis unam viam, vel modum in lege expressum et prohibitum, declinat, quidem, aliam tamen viam assumit, aperte contra voluntatem, et intentionem legislatoris, sicque in fraudem legis, et contra famosam illam reg. 88, *de Reg. jur.*, in 6, agere censetur: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. »

4. *Declaratur exemplis.* — Declaratur regula, et firmatur amplius exemplis juris: Sic enim cit. c. un. *de Clericis conjug.* in 6, dicitur, clericos pro commissis criminibus, vel delictis trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad iudicium laicale, « nec ab ipsis sæcularibus iudicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem iudicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. »

5. *Electus non potest se ingerere administrationi, etiam ut œconomus, ante confirmationem.* — Sic l. *Scire oportet*, 21, § 1, ff. *de Tutor et curat. datis*, pater materno testamento ab administratione liberis patria potestate solutis, relictorum prohibitus, nec ut curator ea administrare valet, « et si voluerit, ut non alia via hoc, quod noluit, testatrix, fiat, » prout ait lex. Sic pater, quia prælatus electus administrationi se ingerere nequit ante confirmationem c. *Nosti*, 9, *de Elect.* ibi: « Nosti, quomodo electus concedendi honores, vel præbendas, vel alias disponendi de rebus Ecclesiæ (cum sua electio non sit confirmata) non habeat facultatem; » easdem nec sub titulo œconomi, vel procuratoris administrare valet, regula hac eis obstante c. *Avaritiæ*, 5, *de Elect.*, in 6, ubi

Papa etiam rationem, fraudem legis videlicet, allegans ita loquitur: « Avaritiæ cæcitas, et damnandæ ambitionis improbitas aliorum animos occupantes, eos in illa temeritatem impellunt, ut, quæ, sibi a jure interdicta noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tanquam procuratoribus, seu œconomis committi procurant. Cum itaque malitiis hominum non sit indulgendum, » etc.

6. *Clerici de jure non possunt habere plura beneficia: nec unum titulo beneficii, et alterum in commendam perpetuam possidere.* — Sic rursus, quia clerici absolute, et simpliciter prohibentur plura beneficia obtinere in titulum c. *Quia in tantum*, 5, *de Præbend. et dignit.* ibi: « Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere: per fratres, et coepiscopos nostros hoc emendari præcipimus, et de multitudine præbendarum, canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam et evagationis inducit, certumque continet periculum animarum, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevare, » juncto c. *Cum singula*, 32. Eod. in 6, uno obtento in titulum, non possunt alterum in commendam perpetuam habere; ne, quod uno modo prohibetur, alia via obtineatur; cum commenda perpetua æquivalet beneficii titulo, Layman in cit. *Avaritiæ*, arg. concil. Trident. sess. 7, cap. IV, *de Reform.*

7. *Filiisfamilias non licet mutuum dare pecuniam, nec quid aliud, ut inde pecuniam acquirant.* — Sic, quia simpliciter, absolute, et ratione sui prohibetur, ut filiisfamilias mutua non detur pecunia, ne inde materiam peccandi, et malos contrahendi mores sumant, prohibitum est etiam eisdem frumentum, vinum, oleum, vel quid aliud mutuum dare, ut ex his venditis pecuniam acquirant, l. *Item si*, 7, § 3, ff. *de S. C. Macedon.* ne in fraudem legis, quod una via prohibitum, alia obtineatur, ibi: « Sed si fraus sit senatusconsulto adhibita, puta frumento vel vino, vel oleo mutuo dato, ut his distractis fructibus, uteretur pecunia, subveniendum est filiofamilias. »

8. *Fallit regula universaliter, quando aliquid non absolute, et principaliter ratione sui, sed quoad certum modum duntaxat, et viam prohibetur. Declaratur fallentia exemplis.* — Quæritur II An, et quas fallentias habeat regula 84? Resp. eam fallere universaliter tunc, quando aliquid prohibitum existit altero modo supra n. 2, declarato, id est, quando quid non simpliciter, et principaliter ratione sui, sed quoad certam viam vel modum duntaxat prohibetur; quia ad taliter prohibitum alia, non prohibita via, vel modo admitti, et pervenire licite et valide quis potest. Sic præter exemplum supra cit. n. 2, allegatum de episcopo; qui licet ad aliam Ecclesiam electionis viæ assumi prohibeatur, ad eandem tamen alia via, postulationis videlicet, pervenire potest cit. c. fin. *de Postulat. prælat.* Ulterius, etsi prohibitum sit, ne clerici illegitime nati ad prælaturas eligantur, tamen via postulationis ad eandem pervenire possunt, c. *Innotuit*, 20, *de Elect.* ubi summarium rem breviter dicit: « Illegitimas potest postulari, non autem eligi. »

9. Sic etiam in judiciis, etsi actor petens aliquam rem una actione inepta repellatur, petendo tamen eandem alia actione congruente admittitur, c. *Examinata*, 15, *de Judiciis*, ibi: « Actionem, quam intentabas, incongruentem cognovimus, et ineptam unde intentionem tuam in hac parte pronuntiamus non tenere ita tamen, quod si congruentem et aptam intentare volueris actionem, respondere tibi teneantur. » Sic insuper, etsi clericis communi jure prohibitum sit, de bonis, intuitu Ecclesiæ acquisitis, condere testamentum: tamen eadem bona per actum inter vivos ad pios usus elargiri valent c. *Ad hæc*, 8, *de Testam.*, ibi: « Ad hæc præsentibus innotescat, quod clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari non possint. Viventes tamen, et sui compotes moderate valeant aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed elemosynæ intuitu erogare. » Verum, si in stricto sensu loqui volumus, recensitæ propriæ fallentiæ non sunt, utpote per regulam ipsam jam exclusæ.

REGULA LXXXV.

CONTRACTUS EX CONVENTIONE LEGEM ACCIPERE
DIGNOSCUNTUR.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc regula ex l. 1. § 6, ff. *Deposit.* ibi:

« Contractus enim legem ex conventionem accipiunt, » et l. *Contractus*, 23, ff. *de Req. iur.*, ubi postquam singillatim explicatum fuit, quinam contractus dolum malum duntaxat recipiunt: quinam dolum, et culpam; ibi: « Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam et dolum, et culpam: dolum tantum, depositum, et precarium: dolum, et culpam, mandatam, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, idem dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidam et diligentiam societas, et rerum communio, et dolum, et culpam recipit: » statim subjungitur: « Sed hæc ita, nisi, si quid nominatim convenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: nam hoc servabitur, quod initio convenit: legem enim contractus dedit: excepto eo, quod Celsus putat, non valere, si convenit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est: et ita utimur. »

2. *Quomodo intelligenda? Quilibet rerum suarum arbiter est.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Resp. I. Per verbum *legem* regula intelligit formam, naturam, et modum obligationis in contractu, vultque dicere, qualiter, et quomodo obliget contractus, ex contrahentium dependere voluntate et speciali conventionem, quæ inter eos legem privatam constituit, qua indicatur, qualiter, quo modo, quo tempore, quo loco, quibus sub conditionibus quivis ex contractu obligatus existat; cum enim quilibet rerum suarum moderator, et arbiter existat; l. *In re mandata*, 21, C. *Mandati*, possunt contrahentes ad invicem convenire et pacisci, sibi que legem observandam imponere, quo modo, quo loco, quo tempore, quibus sub conditionibus contractus eorum obligent l. *In traditionibus*, 48, ff. *de Pactis*, et l. 1, C. eod. quæ dein lex privata ex speciali eorum conventionem, seu pacto proveniens procul dubio ab utroque contrahentium servanda est, « quia pacta custodiantur, » c. 1, *de Pactis*. Et quidem etiam ex æquitate naturali, l. 8, ff. eod. ibi: « Æquitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare. » Unde cit. l. *In traditionibus*, 48, ff. eod. dicitur: « In traditionibus rerum quodcumque pactum sit, id valere manifestissimum est. »

3. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: « Qualiter, quo modo, quo tempore, quo loco,

quibus sub conditionibus contractus aliquis obliget, dependet ex speciali contrahentium pacto, seu conventionione, qua legem mutuo obligantem sibimet imponunt. » Per rationem, et jura jam allegata. Et quoniam sensus regulæ ex se clarus est, opus non habet, ut exemplis juris declaretur: præsertim cum quivis sibimet exemplare formare facile possit; si enim vendis domum tuam mutua sub conventionione, ut pretium simul, vel per partes, hoc vel illo tempore, in hac, vel illa moneta, hoc vel illo loco solvatur: eo modo, quo conventum est, solvendum erit per jura allegata.

4. *Fallit regula, quando privata conventio est contra substantiam contractus: aut jus publicum.* — Quæritur II. An, et quas præsens regula habeat fallentias? Resp. eam fallere primo, quando conventio contrahentium fit contra formam substantialem, seu essentialem contractus a jure præscriptam: seu, si est contra jus commune, et publicum, arg. l. *Leges*, 7, C. de *Legibus et constit. princ.*, ibi: « Leges, et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, » et l. *Jus publicum*, 38, ff. de *Pactis*, ibi: « Jus publicum privatorum pactis mutari non potest, » juncto c. *Si diligenti*, 12, in fin. de *Foro compet.*, ubi dicitur: « cui (indulto publico) privatorum pactio derogare non potest. » Hinc, quia de substantia, et essentia cujusvis contractus est consensus, quævis conventio irrita habetur, ubi verus deest consensus, l. ff. de *Pactis*. Et ideo regula intelligi debet de conventionione circa accidentalia, non vero circa formam substantialem contractus, utpote quæ invariata manere debet. Strein, hic n. 3, cum communi aliorum, arg. l. *Novationum*, 8, C. de *Novationib.*

5. Dicitur autem notanter: « contra jus commune, aut publicum: » siquidem « pactum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum valet: secus, si tolleretur jus commune, » ut ait Rubrum in l. *Jurisdictionum*, 7, § *Si paciscar*, 13, ff. de *Pactis*. Hinc quamvis in favorem emptorum jure cautum sit, quod venditor teneatur de evictione, etsi in contractu emptionis vel venditionis nil fuerit expressum; tamen si venditor et emptor specialiter conveniunt, quod ille de evictione non teneatur, conventioni huic standum est, prout amplius dictum et probatum habetur lib. III, tit. XVII, § 12.

6. *Item, si turpis, aut inhonesta, seu de re turpi, inhonesta, etc.* — Fallit secundo, si con-

ventio contrahentium est turpis, vel de re turpi, inhonesta, aut impossibili, de jure, vel de facto c. fin. de *Pactis*, in fin. ibi: « Nam etiam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, rei turpis, aut impossibilis de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit. » Hinc « Celsus putat, non valere, si convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est, » uti dicitur cit. l. *Contractus*, 28, ad fin. ff. de *Reg. jur.*, juncto c. *Nemo potest*, 6, de *Reg. jur.*, in 6, ibi: « Nemo potest ad impossibile obligari. » Huc serviunt etiam dicta supra ad eis, reg. 6 et ad reg. 69.

REGULA LXXXVI.

DAMNUM, QUOD QUIS SUA CULPA SENTIT, SIBI DEBET, NON ALIIS IMPUTARE.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Quod quis*, 203, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. »

2. *Non tantum ex sua culpa, sed etiam qui ex causa, quam ipse sine delicto præbet, damnum sentit, sibi imputare debet.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis regula ex se perspicua videatur, tamen notandum, quod per verba, *sua culpa*, intelligatur non tantum quævis causa, quamquis ipsemet, etiam absque dolo et ullo delicto, libere præbet ad damnum incurrendum: sic enim, si quis, dum dimidium rei, prædii v. g. pacifica transactione acquirere posset, putans, se habere justam causam, bona fide actionem in iudicio pro toto acquirendo instituit, et succumbendo totum perdit, ac insuper ad expensas condemnatur, damnum sibi ipsi imputare debet, quia etsi nullam culpam, vel dolum commiserit, causam tamen damni ipse præbet, sua sponte præeligendo litem. l. *Ipsè dispice* 1. C. de *Edendo*. Sic etiam, qui bona fide, absque ulla culpa vel dolo compromittit in arbitros, horum sententiæ, etiam minus justæ, et sibi plurimum damnosæ stare, sibi, et non aliis imputare debet damnum inde secutum, quia ad id ipsemet causam præbet, sponte compromittendo in arbitros. l. *Dies proferre* 27, § 2, ff. de *Receptis, qui arbitrium*, ibi: « Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de se dixerit, sive æqua, sive iniqua sit: et sibi imputet, qui compromisit. Nam et divi Pii

REGULA LXXXVII. INFAMIBUS PORTÆ NON PATEANT DIGNITATUM. 481

rescripto adjicitur: vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet. »

3. *Idem est, si jacturam lucri.* — Notandum ulterius, verbo *Damnum* in regula non tantum damnum positivum, sed et lucri carentiam intelligi, ita ut sibi, non aliis imputare debeat, sive damnum, sive carentiam lucri sentiat ex sua culpa, seu causa, quam ipse præbet; cum damnum pati, et lucrum perdere, paria sint arg. l. *Proinde*, 22, in fin. ff. de *Leg. Aquil.* Hinc clericus, cui primo vacatura præbenda per Sedem apostolicam fuit concessa, si eam, quæ primo vacat, petere negligit, sibi imputare debet, quod carentiam totius incurrat gratiæ. c. *Si clericus*, 11, de *Præbend.* in 6, ubi ratio additur illis verbis: « Cum facta et gratia per ipsius negligentiam sit extincta. » Idem est de aliis beneficiis et gratiis ad certum tempus promissis, ac neglectis: quia universaliter jura vigilantibus sunt scripta. l. *Pupillus*, 24, ff. *Quæ in fraudem creditor*, in fin. ibi: « Jus civile vigilantibus scriptum est. » Hinc

4. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus sequens est: « Damnum vel jacturam lucri, quam quis sentit ex sua culpa, vel causa, quam ipsemet libere præbet, sibi, et non aliis imputare debet. » Ratio regulæ est, tum quia « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » c. *Non debet*, 22, de *Reg. jur.* in 6; tum quia culpa suos, non alienos tenet auctores. l. *Sancimus*, 22, C. de *Pænis*, ibi: « Peccata igitur suos teneant auctores: nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum; » tum quia effectus suæ causæ, non alteri imputandus est, arg. c. *Cum cessante causa*, 60, de *Appellatione*.

5. *Declaratur exemplis.* — Declaratur, et firmatur regula amplius exemplis juris; præter enim jam allegata ulterius pro exemplo servit, quod, si procurator, aut negotiorum gestor indebitum solvit, sibi, non Domino damnum imputare debeat. l. *Si quis*, 23, ff. de *Negot. gestis*. ibi: « Si quis negotia aliena gerens, indebitum exegerit, restituere cogitur, de eo autem, quod indebitum solvit, magis est, ut imputare debeat. » Sic etiam, si *quis* sociorum ex suo delicto in pœnam incidit, sibi soli imputare, ipseque solus, non consocii sentire debent. l. *Cum duobus*, 52, § fin. ff. *Pro socio*. et l. 53, ff. eod. ibi: « Quod autem ex furto, vel ex alio maleficio quæsitum est, in societatem non

oportere conferri, palam est: quia delictorum turpis atque fœda communitio est. » Sic ulterius, qui absque inventario hæreditatem adit, indeque damnum sentit, sibi, suæque improvidentiæ, non aliis imputare debet. l. fin. C. de *Jure deliberandi*, etc.

6. Sic rursus, si quis ex præscriptione rei suæ damnum patitur, suæ negligentiam adscribere habet, quod intra præscriptionis tempus de rebus suis non indagaverit, easque vindicavit. arg. l. 1, ff. de *Usurpat. et Usucap.* Sic etiam, qui ad societatem negligentem socium assumit, indeque damnum sentit, hoc sibi imputare debet. § fin. *Inst. de Societ.* « Qui parum diligentem socium sibi assumit, de se queri, sibi, et hoc imputare debet. » Sic pariter, qui administrationem rerum suarum imperitis, ac ineptis committit, vel servos minus habiles conducit, damnum inde sequens sibi imputare debet. l. *Videamus*, 11, ff. *Locati*.

7. *Projiciens aliquid ex alto, et prius non clamans reus damni inde secuti est; secus si clamat.* — Sic ulterius, si putator, ramos ex arbore dejiciens, vel alius machinarius in tempore clamat, ut prætereuntes, a periculo sibi caveant, et hi cavere negligant, his, non illis damnum, etiam homicidium secutum imputandum; secus si non tempestive, vel penitus non clament. l. *Si putator*, 31, ff. de *Leg. Aquil.* ibi: « Si putator, ex arbore ramos cum dejiceret, vel machinarius hominem prætereuntem occidit: ita tenetur, si is in publicum decidat, nec iste proclamavit, ut casus ejus evitari possit, » etc. Sic innumera alia in quavis fere materia reperiuntur juris exempla.

REGULA LXXXVII.

INFAMIBUS PORTÆ NON PATEANT DIGNITATUM.

1. *Regula unde?* — Hæc regula desumitur ex l. 2. C. de *Dignit.*; ibi: « Neque famosus et notatus, et qui scelus, aut vitæ turpitudine inquinat, et quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. »

2. *Sicut infamia duplex est, juris nempe, et facti: ita alii sunt infames infamia juris, alii infamia facti.* — Quæritur, quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum, infames alios esse infamia juris, seu de jure: alios infamia facti, seu ex facto, prout nempe infamia est, qua laborant; hæc siquidem